

ma genera duo, tectum & colonicum: illud mollius, hoc in pascuo delicatius, quippe cum tectum rubis ve scatur. Operimenta eis ex Arabicis precipua.

De generibus lanarū & vestiū. CAP. XLVIII.

Lana autem laudatissima Apula, & quae in Italia Graeci pecoris appellatur, alibi Italica. Tertium locū Milesia oves obtinent. Apulae breues villo, nec nisi penulis celebres. Circa Tarentum Canusiumq; summam nobilitatem habent. In Asia vero eodem genere Laodicea. Alba circumpadanis nulla praefertur, nec libra centenos nummos ad hoc cui excessit vlla. Oves non ubique tondentur. Durat quibusdam in locis vellendi mos. Colorum plura genera, quippe cum desint etiam nomina eis, quas nativas appellant, aliquot modis. Hispania nigri velloris precipuas habet: Polentia iuxta alpes cani: Asia rutili, quas Erythreas vocant: item Batia: Canusium fului: Tarentum & sua pulliginis, Succidis omnibus vsus medicatus. Istriae Liburniaeque pilo propior quam lanae, pexis aliena vestibus, & quam sola ars scutulato textu commendat in Lusitania. Similis circa Piscenas provinciae Narbonensis: similis & in Aegypto, ex qua vestis detrita vsu tingitur, rursusque auro durat. Est et hirta pilo crasso in tapetis antiquissima gratia: iam certe prisca ijs vsos, Homerus autor est. Aliter haec Galli pingunt, aliter Parthorum gentes. Lanae & per se coacta vestem faciunt: & si addatur acetum, etiam ferro resistunt: imo vero etiam ignibus, nouissimo sui purgamento: quippe abenis polientium extracta, in tomenti vsu veniunt, Galliarum, vt arbitror, inuento: certe Gallicis hodie nominibus discernitur, nec facile dixerim qua id aetate caeperit. antiquis enim torus est stramento erat, qualiter etiam nunc in castris gausape. Patris mei memoria caepere amphimalla nota, sicut villosa etiam vethalia. Nam tunicalati clauis in modum gausape texti nunc primum inaeptit. Lanarum nigrae nullum colorem bibunt. De reliquarum infectu suis locis dicemus, in conchylijs marinis, aut herbarum natura. Lanam cum colo & fusso Tanaquilis, quae eadem Caia Cacia vocata est, in templo Sagi durasse, prodente se, autor est M. Varro: factamq; ab ea togam regiam undulata in aede Fortunae, qua Ser. Tullius fuerat vsus. Inde factum vt nubentes virgines comitaretur colus compta & fusus cum stamine. Ea prima texuit rectam tunicam, * quales cu toga pura * tyroni induuntur noua; nupta. Undulata vestis primo e lautissimis fuit, inde forniculata defluxit. Togas raras Phrygianasq; diui Augusti nouissimis temporibus caepisse, scribit Fenestella. Crebra papauerata antiquiorem habent originem, iam sub Lucilio poeta in Torquato notata. Praetexta apud Hetruscos originem inueni. Trabeis vsos accipio reges. Pictas vestes iam apud Homerum fuisse, vnde triumphales natae. Acus facere id Phryges inuenerunt, ideoq; phrygiones appellati sunt. Aurum intexere in eadem Asia inuenit Attalus rex, vnde nomen Attalicis. Colores diuer-

* qua simul

* tyrones

fos picturae intexere Babylon maxime celebravit, & nomen imposuit. Plurimis vero licijs texere, quae polymita appellant, Alexandria instituit: scutulis diuidere, Gallia. Metellus Scipio triclinaria Babylonica sestertium octingentis milibus venisse iam tunc, posuit in Capitonis criminibus, quae Neroni principi quadragies sestertio nuper steteret. Seruij Tullij praetexta, quibus signum Fortunae ab eo dicatae coopertum erat, durauere ad Seiani exitum. Mirumque fuit nec defluisse eas, nec teredinum iniurias sensisse annis d. lx. Vidimus iam & viuentium vellera, purpura, cocco, conchylio, sesquilibris infecta, velut illa sic nasci cogente luxuria. In ipsa ovis satis generositatis ostenditur breuitate crurum, ventris vestitu: quibus nudus esset, apicis vocabant, damnabantque. Syriae cubitales ouium caudae, plurimumque in ea parte lanicij. Castrari agnos nisi quinquemestres, praematurum existimatur.

De musmone.

CAP. XLIX.

Est & in Hispania, sed maxime Corsica, non maxime ab simile pecori, genus musmonū, caprino villo quae pecoris velleri propius. Quorum e genere & ouibus natos prisca vmbros vocauerunt. Infirmissimum pecori caput: quamobrem auersum a sole pasci cogendum. Quam stultissima animalium lanata. Qua timuere ingredi, vnu cornu raptum sequuntur. Vita longissima anni decem, in Aethiopia xij. Capris eodem loco xi. in reliquo orbe plurimum octoni. Vtrumque genus intra quartum coitum impletur.

De capris, & generatione earum.

CAP. L.

Caprae pariunt & quaternos, sed raro admodum. Ferunt quinque mensibus vt oues. Caprae pinguitudine steriles cut. Trime minus vtiliter generant, & in senecta, nec vltra quadriennium. Incipiunt septimo mense, adhuc lactetes. Mutilum in vtroque sexu vtilius. Primus in die coitus non implet, sequens efficacior, ac deinde. Concipiunt nouembri mense, vt martio pariatur turgescentibus virgultis, aliquando an nicula, semper bimae, in trimatu inutiles. Pariunt octonis annis. Abortus frigori obnoxius. Oculos suffusos capra iunci puncto sanguine exonerat, caper rubi. Solertiam eius animalis Mutianus visam sibi prodidit in ponte praetenui, duabus obuijs e diuerso: cum circumactum angustiae non caperent, nec reciprocatione longitudo in exilitate caeca, torrete rapido minaciter subterfluente, alteram decubuisse, atq; ita altera proculcata supergressam. Mares quae maxime simos, longis auriculis infractisq; armis quam villosissimis probant. Faeminarum generositatis insigne, laciniae corporibus e ceruice binae depedentes. Non omnibus cornua: sed quibus sunt, in his & indicia annorum per incrementa nodorum. Mutilus lactis maior vbertas. Auribus eas spirare non naribus, nec vnquam febri carere Archelaus autor est: ideo fortassis anima his quam ouibus ardentior, calidioresq; concubitus. Tradunt & noctu non minus cernere quam interdiu: ideo si caprinum iecur

* octo

* vtilis

50